



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

III. Markgraf Albrecht gründet das Collegiatstift Soldin und bestätigt den dortigen Predigermönchen die Holzungsgerechtigkeit in den dem Stifte beilegenden Waldungen, am 1. Juni 1298.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

specialiter sunt conquesti, secure possideant et quiete; fratribus vero de Soldin precipimus, ut predictos terminos ac ciuitates memoratas predicationis vel questus gratia ingredi non presumant, inponentes eis silentium perpetuum super terminis memoratis ac iniungentes eisdem, ut cum fratribus Kaminensibus de ablatis in terminis supra dictis infra VI menses a terminatione capituli memorati conferant et componant. In cuius rei testimonium sigilla nostra duximus presentibus apponenda. Datum anno domini M. CC. LXXXIX., VIII. Idus Junii, in nostro capitulo generali.

Nach dem Originale im Stettiner Provinzial-Archiv. Mittheilung des Freih. v. Medem.

III. Markgraf Albrecht gründet das Collegiatstift Soldin und bestätigt den dortigen Prediger-mönchen die Holzungsgerechtigkeit in den dem Stifte beigelegten Waldungen, am 1. Juni 1298.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis amen. Albertus, Dei gratia marchio Brandenburgensis, Omnibus presentem paginam inspecturis in perpetuum. Ille Pater familias ante omnia secula Deo Patri in substantia manens semper equalis, in fine seculorum per hominem factus homo, vineam suam, ecclesiam uniuersam de gentibus vocatam, nouo fetu cotidie multiplicat et adauget; cum non solum in ea hora prima, tertia atque sexta, verum etiam decima atque undecima, per quam finis seculi designatur, operarios mittere non desistit, qui eam purgatam fordibus peccatorum cum incremento fructus bono operariorum de virtute crescere faciant in virtutem et Deum in Syon facie in faciem contemplari. Huius vitis propagines Nos, qui populum nobis subjectum temporali regimine gubernamus, per novorum industriam operariorum, qui eam circumfodiant atque putent, extendere cupientes et pia sollicitudine precavere, ne aper de sylua et singularis ferus eam exterminet vel depascat. In ciuitate nostra Soldin ad honorem Dei omnipotentis eiusque matris Marie virginis gloriose et specialiter beatorum Petri et Pauli apostolorum, ipsius ecclesie patronorum, de consensu et consilio venerabilis patris, domini Petri, Caminensis ecclesie episcopi, ordinis predicatorum loci diocesani, fundauimus et instituius canonicorum et prebendarum numerum duodenum, qui ibidem ecclesiam domino congregatam regant et ei presideant verbo, opere et exemplo et dominum pro nostris, pro*) filiarum et successorum nostrorum omniumque fidelium viuorum et mortuorum excessibus iugiter interpellent. Sane ne propter defectum rerum temporalium huiusmodi canonicis institutis vel pro tempore instituendis seruiendi domino copia subtrahatur, villas subscriptas**) Brunckow***) cum suis limitibus, Wukun cum suis limitibus a loco, qui Wilkule dicitur, usque in paruum stagnum Wukun et inde in magnum Wukun et inde descendendo per riolum Bruneken usque in stagnum Cyten, et dictorum stagnorum medietas est canonicorum alia dominorum de Uckera. Item villam Bruneke cum suis limitibus sicut linea siue lyra aratro tracta est a stagno Cyten usque ad campum Speninghet). Item villas Gollin, Schönberg,

*) Nach Buchholz: pro nostris, progenitorum nostrorum et filiorum ac successorum nostrorum etc.

***) Buchholz: subscriptas sex.

***) Buchholz: Bruckow.

†) Buchholz: Spencynse.

Brugge, Staffelde et Miezelfelde cum ipsarum limitibus, incipiendo a campo Cartzke et descendendo per lineam sive lyram aratro tractam usque in paludem Kufse, et inde descendendo per riolum Kuffe usque in riuum Miezal, et iterum riuum Miezal ascendendo usque ad campum Soldin [canonicorum totus est predictorum]*). Item ex alia parte inter Soldin et Miezelfelde a fluuio Miezal usque ad campum Brugge, et inde usque ad campum Reuske**), et deinde usque ad campum Nienborch et sic deinceps a Nienborch descendendo per distinctiones villarum Schönberg et Gollin usque in stagnum Tzummoeh, et quicquid in dictis villis et ipsarum limitibus predictis continetur, nempe in agris cultis et incultis, nemoribus, syluis, lignis, pascuis, pratis, stagnis, riuis***), molendinis, edificatis et edificandis, et generaliter ipsas villas cum omnibus illarum pertinentiis, cognitione causarum criminalium, ciuiliu[m] et omni iure temporali, quod in eis nominari vel acquiri poterit, ipsis canonicis et eorum successoribus in perpetuum propter Deum conferimus et donamus iusto proprietatis titulo perpetuo possidendas. Verum tamen viris religiosi et discretis nempe fratribus ordinis predicatorum in eadem ciuitate nostra Soldin domino famulantibus ex speciali gratia et fauore conferimus et donamus liberam facultatem ligna secandi et fumendi in dictis nemoribus dictorum canonicorum pro edificiis et aliis suis usibus, quia eandem gratiam a nobis ante fundationem ecclesie habuerunt. Preterea riuum e stagno Vitzen manantem et in fluuium Warte descendentem, cum molendinis supra eundem riuum edificatis vel edificandis, ligna quoque ad ipsa molendina reparanda et conseruanda in merca sumenda, eisdem canonicis et eorum successoribus in perpetuum propter deum similiter conferimus et donamus, predictas villas cum molendinis iam dictis ab omni precaria, exactione vectigalium, seruitute rustica vel urbana, quavis tallia et omni impetitione nostra nostrorumque officialium decernentes liberas et immunes, omne ius et omnem libertatem et proprietatem, quam in eisdem habuimus, in ipsos canonicos et ipsorum successores liberaliter transferentes. Insuper ut dictorum canonicorum deuotio studiosius uigilet coram Deo, ius patronatus †) ecclesiarum ciuitatum Soldin, Landsberg, Berlin et Berwalde, immo ipsas ecclesias cum pertinentiis officiare vel per se vel per alios poterunt, prout noverint sibi expedire. Primam tamen collationem dicte ecclesie in Berwalde nobis specialiter referuamus. Ut autem hec perpetuo maneant inconuulsa, presentes litteras inde confectas appensione sigilli nostri iussimus communiri. Testes huius sunt Reinecke de Wulkow, Rodolphus de Liebenthal, Wernerus et Lippoldus Albi††), Wernerus Splinter et Albertus de Brunkow, milites, Bethockow de Zago †††), Zabel et Henningus de Marwitz, Marcus de Wulckow, Henningus Morner, Henningus de Wedel†*), Henningus, Syfridus et Henningus †**), de Winnigen dicti, et quam plures alii clerici et laici fidedigni. Actum et datum in eadem ciuitate nostra Soldin, per manum Iohannis, nostri Notarii, anno dominice incarnationis Milleesimo ducentesimo nonagesimo octauo, indictione undecima, epacta sexta, concurrente secunda, Calendas Junii, dominica Trinitatis.

Nach einer Abschrift des Freiherrn von Medem aus dem Originale (?) des Stettiner Provinzialarchives. Diese Urkunde ist auch in Buchholz Gesch. der Churmark B. IV, S. 135 aus einer Gundling'schen Abschrift herausgegeben und darauf beziehen sich die Noten. Man ersieht daraus, daß beide Abschriften ziemlich fehlerhaft sind. Es ist deshalb unter der folgenden No. XII. noch das Fragment eines antiken Transsumtes dieser Urkunde zur Mittheilung gebracht.

*) Statt der [] eingeschlossenen Stelle heißt es bei Buchholz: Idem quoque riuus Mitzel a dicto loco, ubi riuulus in eum incidit, usque ad campum Soldin, canonicorum totus est jurisdictionis.

) Buchholz: Rentze. *) Buchholz: et riuulis. †) Buchholz: Inspectoratus. ††) Buchholz: Albertus.

†††) Buchholz: Jagow. †*) Buchholz: Werdeling. †**) Buchholz: Henricus.